

debiles sunt, cum Deo ipsa debilitas potentia est. Fortuna Jeroboami non felicitas propria fuit, sed supplicium Benadad: nam superbum punit Deus debiliori instrumento: & ingrato infideli mundi felicitatem oculis tantum degustandam exhibet pro duriori supplicio.

## §. NONUS.

*Ingratitudo Principum decem tribuum omnes reddidit infideles.*

538 Jeroboami obitu devenit sceptrum in ejus filium Zachariam, parenti quidem similem moribus, sed duratione regni dissimilem: nam intra sex menses imperium simul ac vitam perdidit manibus Sellum Vassalli sui. Et in Zacharia extincta est generatio quarta Jehu, juxta Dei præfagium, quando illum jussit ungi in Regem Israelis ad puniendam familiam Achab. Interijt familia Jehu, quasi numquam extiterit: quia nascuntur ad interitum, qui nascuntur ad supplicium. Et cum perverfos hujusmodi ferat exitus, nullus ferè Israelis Princeps extitit, qui perverfus non fuerit. Culpæ enim Principum sunt immedicabiles: Principes enim nascuntur ex sublimitate, nutriuntur adulatione, victitant potentia, & hæc reddit infirmos curatu nimium difficiles. Ut decem leprosi integram reciperent sanitatē, satis fuit, ut Christus eos præsentari sacerdoti juberet. Ut verò sanaretur Naaman leprosus,

*Culpa principum immedicabiles. Luc. 17.*

fatis non fuit præsentari Eliseo representanti Christum, sed opus fuit lavari septies in Jordane. *Disc. 4 Reg. 15.* ficultas curationis nata non est ex diversitate infirmitatis, sed ex diversitate infirmi. Erat Naaman Princeps, & morbi Principum vel immedicabiles sunt, vel curatu nimium difficiles: nā corruptionem ægritudinis: ex quo perpetuitas morbi est supplicium perseverantiæ in culpa.

539 Puniebat Deus hos Principes ob infidelitatem, & plurimi executioni supplicium mandaverunt. At ubi capiebant sceptrum, politica status ratio eos reddebat idololatrias: quia inter impium politicum, & infidelem nullum discrimen intervenit: & propter infidelitatem semper sceptrum amiserunt: est enim infidelitas culpa, quæ extremū supplicium meretur. *De peccato quidem, quia non credunt in me, dixit Christus de Judæis incredulis. Quid? Nō est inter homines aliud peccatum, quod Deus puniat? Est: verū infidelitas inter omnia mala culpæ ita eminent, ut sola videatur mereri nomē peccati, & rigorē supplicij.*

540 Acclamatus Sellum Rex Israelis se ad eō impie gessit, ut intra mensem in illum conspiraverit Manahen, eumque scepro & vitā privaverit. Nā quod pravis artibus partum est, ipsidem exercetur; & quod violentam, parum durat. Regnavit Manahen decem annis eadem politica status ratione, qua prædecessores, & ejus

*Infidelitas puniuntur.*

*Joan. 16.*

*4. Reg. 15. Eucant prava quantum nocent.*

ejus morte sceptrum transijt ad filium Phaceyas æquè impium, ac fuerat pater: nam talis pater talem filium ad impietatis ubera nutrierat: nec habet vim minorem educatio, quàm natura. In prima enim ætate mores infunduntur hoc discrimine, quòd bonis fenitur natura, in malos propendet, ad penam primæ culpæ, in quā primus homo lapsus est. *Discite a me, (dicebat Christus) quia mitis sum. Hæc fuit natura: & quanam educatio? Butyrum & mel comedit. Qualis mansuetudo & mititas illius, cujus natura cerea educabatur melle & butyro.*

*Matth. 12.*

*Isai. 17.*

*Mores boni ex educaione.*

*Ecd. 7.*

*4. Reg. 15.*

541 Est bona educatio, seu puerorum institutio alimentum quoddam animæ, quo unā cum virtute boni mores adolescent: idcirco si jure naturali tenentur parentes ad alendum corpus, eodem jure, & maiori obligatione tenentur ad alendam animam filiorum: ex eo quòd sit anima superior, & pars nobilior hominis. *Filij sunt tibi, (ait Spiritus S.) erudi eos, & curva illos a pueritia illorū.* Ut scirent parentes à Deo filios accipere cum hac obligatione bonæ educationis. In Principibus hujusmodi obligatio maius onus est: sunt enim publici fontes, à quibus subditi omnes mores hauriunt.

Rebellavit contra Phaceyas dux generalis Phasee, & illi necē intulit, ut auferret sceptrum, quo ablato acclamatus est Rex Israelis. At cum adeptus fuerit sceptrum iniquitate, ipsa iniquitas

illum scepro spoliavit, & fuit occisus à vassallo suo Osee, qui occisor salutatus Rex Israelis, fuit postremus Rex decem tribuum Israelis: & inter omnes nullus evasit ingratitude & infidelitatem contra Deum. Nam constellatio sceptri reddebat ingratos, & ingratitude infideles.

## CAPUT XII.

*Amissum est ex ingratitude sceptrum Hebræum.*

## §. PRIMUS.

*Sine fidelitate nō conservatur sceptrum.*

542 **I**s Osee calamitibus oppressum regnum accepit, ut potius videretur subditus Regis Syriæ, quàm supremus Princeps Israelis. Voluit Osee excutere jugum, & fœdus inivit cum sua Rege Ægypti: cum tamen hujusmodi confederatio Syris innotuerit, Salmanazar occupavit regnum Hebræorum, & captum duxit universum populum in Syriam; & fuit hæc secunda captivitas, quam Israelitæ sustinuerūt, tenui ad eō, & exili spe libertatis, ut confestim multi populi Syriæ mitterentur incolere terras Israelis: quos proinde Hebræi dixerunt Samaritanos, & habuere loco hæreticorum: ac merito; quia nihil de Divina lege observabant, nisi id à quo temporale aliquod emolumentum intendebant.

543 Perseverat adhuc in toto pene orbe hujusmodi iniqua professio;

*Heb. aorū secunda captivitas*

*Professio fidei ex cōventione temporali iniqua. Ioan. 17.*

fessio: cum sint multi Samaritani, qui ex sola utilitate nomen Christianorum retinent: cum sint Christiani multi, non quod tales esse teneantur, sed ex convenientia ut sint, vel potius esse videantur. Dicebat Caiphas esse expediens mori Christum. Et paulo post dixerunt omnes se habere legem, secundum quam moriturus erat. Nulla dabatur lex, quae praeciperet Dei occisionem. Quanam igitur huiusmodi erat lex? Caiphas dixerat: *Expedi vobis.* Legem fecerunt ex convenientia. Certe duplicata infidelitas est velle Christianum videri ex convenientia, fide quidem erga Deum, & fraude erga homines: digna proinde acerbo supplicio. Simeon & Levi interfecerunt Hemor & Sichem cum omni eorum familia, postquam viderunt circumcisos: *Ingressi confidenter, interfectisque omnibus, Hemor, & Sichem pariter necaverunt.* Quid? Circumcisio in lege scripta remedium culpae potuit inferre necem Regi, ejusque clientibus? Amplecti legem Dei potuit afferre tam funestum infortunium? Si quis attenderit motivum, quo Princeps impulsus recepit circumcisionem non aspernabitur illius interitum: motus fuit ad illam recipiendam ex amore Dinæ: *Aestimabat enim puellam valde;* & non ex amore Dei. Qui igitur non Dei intuitu, sed ex affectione mundana Divinam legem, seu religionem profiteretur, ab eadem lege, seu religione tradetur suis hostibus vitæ spoliandus. Christianum verè esse,

Joan. 19.

Gen. 34.

se, importat Divinæ legis observantiam, qua salus obtinetur: Christianum velle videri, ut quis se pravis voluptatibus emanciperet, est manifestum periculum interitus, est Samaritanum, & non Christianum esse.

544 At si testimonio sacræ <sup>Infidelitas in supplicio 4. Reg. 17</sup> Paginæ Osee fuit inter Israelis Principes, qui Deum minus offendit: *Fecit que malum coram Domino, sed non sicut Reges Israelis qui ante eum fuerunt:* cur maiori supplicio affectus est? Quia Deo ingratus fuit: *Fecitque malum coram Domino.* Patravit insuper duo scelera conservandæ coronæ omnino infesta: scilicet fecellit fidem Phasæe, & non stetit promissis Salmanazari. Infideles manus sceptrum retinere nequeunt. Zambri retinuit septendecio, Selumense unico. Princeps fedifragus, qui verbo non ligatur, habet sibi infensum Deum, cujus lex est verbum, juxta Davidem: *Lex tua veritas.* Fregit Saul juramentum, quo se Josue Gabonitis obstrinxerat, & Deus punivit Israelem trienniali fame. At quomodo deliquit populus, non servata per Saulem fide, ut poenam sustineret? Non fuit illius perjurij reus, sed deliquit in patiendo Regem fraudulentum: Deus enim non approbat Regem, qui fidem datam fallit.

Jacob maledixit Simeoni & Levi tamquam datæ fidei violatoribus: *Simeon & Levi vasa iniquitatis.* Ex S. Pagina constat illos nullis muneribus acquievissent, ut amoverentur à sumenda vindicta.

Gen. 49.

vindicta de Rege Sichem, pro injuria, quam intulerat eorum sorori Dinæ. Quia hæc eadem opportunitate qua se gessere ingenuos, fregerunt fidem, quam Regi adstrinxerant, ut nempe contraheretur connubium, si reciperent circumcisionem: nam Regem, & alios promissum ex sua parte implentes, insidiosè occiderunt. Hanc igitur infidelitatem & fraudem consecuta est maledictio, quam illis Jacob imprecatus est.

545. Ubi deficit veritas, succedit maledictio. *Animus eorum ostendebat genitium fallaciam, & juramentorum prævaricationem.* His verbis hortatus est Judas Machabæus milites, ut aggredere tur Nicanorem hostem, quem certissime crederent bello frangendum, eò quod juramentum fregisset. Omnia in hoc mundo fidelitate roborata nituntur, fraude ruunt. Isaias dixit Principes quæsituros & adoraturos Christum in suo natalitio, propter ipsius fidelitatem, ut nempe adorarent tamquam Deum: *Reges videbunt, & consurgent Principes, adorabunt propter Dominum, quia fidelis est.* Est fidelitas virtus adeo suprema, ut Propheeta Deum explicuerit per fidelitatem, & ut significaret illum Deum naturam, dixerit fidelem verbum.

Adorare Deum Principes est.

At cur Propheeta solos præcisus designavit Principes ad adorationem, si Christus in præsepio à pastoribus etiam fuit adoratus? Fateor adorasse pastores; sed pastores, qui stipendiarias persolvunt Deo adorationes, pastores

non sunt, sed Principes. Ex fidelitate nascitur inter homines reciproca quædam obligatio, sine qua humanus convictus stare nequit. Sit Princeps in promittendo cautus, & matura quadam deliberatione lentus: at in promissione implenda omnino promptus. Christus in Cruce petivit acetum & fel ad implendam scripturam, qua suum nobis verbum obstrinxerat: *Dixit, Satio;* cum enim in Cruce fuisset declaratus Rex: *Iesus Nazareus Rex.* Si opus sit, Rex debet potare acetum, & fel, ne desit suo verbo semel obstricto.

Ie. 19.

## §. SECUNDUS.

*Vitia Principis sunt totius ruina imperij.*

546 Interierunt tandem Principes Israelis ob ingratitude. & ipsum regnum interijt ob tales Principes. Quia reipublicæ longè funestius exitium Princeps suis sceleribus infert, quam hostes suis armis potentissimis. Quædam Davidis ingratitude ejus regno damnosior fuit paucis horis, quam universi hostes quadraginta annis. Nec satis fuere supplicia, ut Reges ab ingratitude deterrent, vel saltem referrent in melius rerum administrationem: quia vitia Principum immedicabilia sunt, & sub malo Principe bonum regimen stare nequit. Sunt mala Principum immedicabilia, quia nascuntur ex potentia, & adulatione: & cum semper calamitas

cum habeant, necesse est ut pul-  
lulent, & abesse nequeant. Dein-  
de sub malo Principe bonum re-  
gimen esse nequit: quia cum mala  
anima corpus bona actione fun-  
gi non potest. *Anno quintodecimo*  
*Imperij Tiberij Caesaris, procurante*  
*Pontio Pilato. Hoc tempore misit*  
*Deus Baptistam: Factum est ver-*  
*bum Domini super Joannē. Cur fa-*  
*cta est mentio de personis, quæ*  
*dominabantur, cum sufficeret mē-*  
*tio currentis sæculi, ut ejus adven-*  
*tus tempus innotesceret? Quia cū*  
*Baptista venisset in remedium*  
*malorum, quibus mundus obru-*  
*tus erat, ut planè intelligerentur*  
*ipsa mala, nominati sunt Princi-*  
*pes, qui mundo dominabantur;*  
*quia ex influentijs capitis descen-*  
*dunt mala in corpus: & quæ ma-*  
*la abesse mundo poterant, quan-*  
*do pessimi imperabant Princi-*  
*pes, scilicet Tiberius ambitio-*  
*sus, Herodes turpis, Philippus*  
*sceleratus, Lysanias crudelis; Pi-*  
*latus cupidus, Annas & Caiphas*  
*continua summi Pontificatus al-*  
*ternatione scandalosi? Voluit E-*  
*vangelista significare regimen,*  
*manifestavit Principes: quia sub*  
*Principe malo nequit bonum re-*  
*gimen consistere.*

Regim  
mal. m  
sub malo  
Principe.

Luc. 3.

Ingratitudo  
discrim  
ac e suppli-  
cium.

547 Perijt regnum Israelis ob  
ingratitude manibus Salma-  
zaris infestissimi hostis: cum enim  
ingratitude fit vitium crudelissi-  
mum, æquum est, ut crudelissimis  
manibus puniatur. Est ingratitude  
inter omnia vitium crudelissimi-  
mum: quia ingratus viperæ simi-  
lis est. Objurgat Baptista Phari-  
sæos, & ut significet ingratos, ap-

pellat vyperas: *Progenies viperarū.* *Math. 23.*  
Quia vipera nascens, & nativitate  
ipsa suum esse accipiens, interficit  
matrem, à qua accepit: sic ingratus  
pro accepto bono reponit malum.  
Addidit objurgationi, ne se jactarent  
Abrahæ filios, quia potens erat Deus  
ut eos suscitaret de lapidibus. Cur non  
dixit producendos ex terra, si ex hac  
Deus produxit hominem? Quia terra  
se Deo gratam exhibuit correspondens  
fructibus: & filij Abrahami tam  
ingrati Deo fuerunt, ut responderent  
lapidibus. Nec minus crudelis est  
ingratus, quàm vipera, nec magis  
nobilis, quàm lapis: siquidem  
ingratitude illum reddidit lapideum.

Principes  
boni sunt  
pauci.

548 Cœpit in Saule sceptrum  
Israeliticum, & è tribus Regibus,  
qui imperarunt duodecim tribubus,  
solus David fuit gratus Deo: nam  
Saul ex ingratitude perijt: ob eandem  
culpam damnatio Salomonis dubia est.  
Decem Israelis tribus in Jeroboamo  
ab alijs disjunctæ sunt, & è novendecim  
Principibus, quibus subjacuit regnum,  
donec extingueretur in Osee, nullus  
vitavit ingratitude & infidelitatis  
labem. Cœpit sceptrum duarum tribu-  
um Juda, & Benjamin in Roboamo:  
& è viginti Principibus, qui illud  
administrarunt, ut refert sacer  
Textus, *Præter David, & Ezechi-*  
*chiam, & Josiam, omnes peccatum*  
*commiserunt. Nam reliquerunt legem*  
*Altissimi Regis Juda, & contemp-*  
*serunt timorem Domini. Hi tres ve-*  
*re Deo grati & fideles extiterunt:*

nam

nam Josaphat, Joathan, Azarias,  
Manasses, & Asa, in suas etiam  
inciderunt rebelliones, & ingrati-  
tudinibus reliquos omnes perdidit  
ingratitude & infidelitas.

Pietas, &  
fidelitas cū  
corona ra-  
ro conjun-  
guntur.  
Apoc. 5.

549 Scribit Joannes seniores,  
qui assidebant Agno, projicere à se  
coronas: *Mittebant coronas suas*  
*ante thronum.* Cur à se remou-  
vent coronas? Cur non servant  
Regum insignia? Quia coronæ ut  
plurimum valde repugnant Dei  
consortio: valde igitur conferet  
abjectio coronarum, ut cum Deo  
societas & familiaritas seruetur.  
Ideo simulacra mundi solent ma-  
ctari Erebo victimæ. Deum omnino  
obliviscuntur, mundi tantum memores.  
Potestas eos reddit crudeles, sub-  
limitas absolutos: via autem salutis  
est rectè operari, & Deum timere.  
Christus regnavit in Cruce, ut glori-  
am ingrederetur: qui non sequuntur  
Christum, regnant in mundo, ut  
perenniter torqueantur in Erebo.

§. TERTIUS.

*Temporalem felicitatem associant*  
*ingratitude, & exitium regnorum.*

Prosperitas  
quantum  
noceat.  
Isai. 1.  
Jerem. 2.

550 Queritur per suos Pro-  
phetas Deus ingratitude populi,  
& ait favoribus illum fieri  
ingratum, & ex ingratitude vitij  
omnibus scaturire. Mens humana  
in felicitate non discernit quod  
valde separatum est: judicat res  
eò maiores, quò propinquiores:  
& cum felicitate, seu potius  
superbia ipsa hebescat acies, se  
feliciorem arbitratur, quàm par  
est: ex quo per quamdam elationem

credit sibi deberi omnia, contemnit  
omne justum, & quidquid suæ  
blanditur voluptati, honestum  
reputat. In felicitatibus naufragatur  
judicium. Adamus, ut foret ingratus,  
ab Eva subactus fuit: & cum  
diabolus destructis omnibus, reliquerit  
Jobo uxorem, ab ea victus non fuit.  
Quænam ratio discriminis? Ad-  
damus degebat feliciter in loco  
voluptatis: Jobus in loco fatido  
ac doloris: Adamus inter felicitates,  
Jobus inter adversitates: hæc docent,  
illæ destrunt. *Nescio Dominum,*  
dicebat olim Pharaon: & postea  
*Fugiamus Israel.* *Dominus enim*  
*pugnat pro eis.* Cur modò agnoscit,  
qui antea ignorabat Deum? Quia  
modò pressus adversitatibus oculos  
aperuit, qui olim inter felicitates  
voluptate obrutus cæcutiebat.

Exod. 5.

Exod. 14.

Felicitas  
cum in-  
gratitudo  
& vitij  
Osee. 2.

551 Fuit populus æquè ingratus  
atque felix, & æquè virtuosus  
atque ingratus. *Argentum multiplicavi*  
*ei, (dicebat Deus per Prophetam)*  
*et aurum, quæ fecerunt Baal.*  
Solet enim accidere regnis &  
imperijs, quod humanis corporibus:  
hæc enim fervantur agitatione  
& labore, sine quibus facile in  
morbum incidunt. Inter vexationes  
& afflictiones captivitatatis non  
rebellavit populus contra Deum;  
at inter favores solitudinis, &  
felicitates terræ promissionis  
multiplici ac perenni ingratitude  
depravatus se in omne genus  
vitiatorum projecit: unde Isaias sic  
Hebræos coarguit: *Manus vestrae*  
*pollutæ sanguine, & digiti vestri*  
*iniquitate: labia vestra*

locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatetur. Et indignatus Propheta contra ingratitude[m] populi, ac scelerum omnium colluuiem, prosequitur: *Non est qui invocet iustitiam, neque est qui iudicet verè: sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates: conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.* In captivitate observarunt legem, quam in opulentia fregerunt: ad veritas enim in virtute roborat, prosperitas omni vitiorum genere corrumpit.

Isai. 59.

Prosperitas  
obnoxia  
periculi.  
Gen. 46.

552 Jacob adeo timuit felicitates, in quas eum acciverat filius Joleph, ut opus fuerit promissione Divini auxilij pro obtinenda securitate inter felicitatis pericula. *Noli timere, descende in Egyptum, quia in gentem magnam faciam te tibi (dicebat Deus) ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem.* Inter felicitates ceciderunt Angeli, naufragatus est Adamus, Saul perijt, Salomō erravit, Israelis Principes interierunt, & sunt rarissimi, qui felicitatis innumera discrimina evadant. Evangelista Joannes in Calvario stetit animosus, in Thabore cecidit debilis. Quem igitur in felicitate splendoris gloriæ prostrarunt, in adversitate omnia crucis tormēta decicere non poterunt. *Stabat juxta crucē.* Proh quātos dejiciūt felicitates Thaboris! At solus potuit esse felix tamquā Jacob, qui felicitates timuit: sed ideo felix, qui vixit pavidus.

Ingratitudo  
ruinam  
effert.

553 De se ipso narravit Nabucodonosor vidisse se in somnijs arborem ea altitudine & ma-

gnitudine, ut videretur cælum ipsum cacumine attingere, & ramis universam operire terram: adjecti descendisse statim de cælo vocem, quæ fortiter clamavit: *Succidite arborem.* Arbor hæc similitudine quadam referebat ipsum Nabucodonosorem cum suo imperio. Cū enim Dei favore & singulari beneficio dominaretur orbi, inter felicitates adeo extitit ingratus, ut auderet contra ipsum benefactorem Deum. Arbor igitur quæ fructum ingratitude[m] producit, succisa pereat, & de terra omnino aboleatur: *Succidite arborem.* Hoc idem contigit regno Hebræorum, cū Divina beneficia verteret in arma infidelitatis: *Repleta est terra argento, & repleta est terra ejus idolis.* Cū verò Hebræus populus talem fructum protulerit, noluit Deus, ut talis arboris radices in terra manerent: *Radix eorum quasi farvulla erit, & germen eorum ut pulvis ascendet.*

554 Verum si regnum Israelis fuit à Deo collatum: sic enim Deus ipse manifestari voluit Jeroboamo, quando appellavit Regem: *Auferam autem regnum de manu filij ejus, & dabo tibi decem tribus.* Cur perpetuum non fuit, sed in Ozea extinctum? Æternum futurum Christi regnum prædixit Angelus: *Et regni ejus non erit finis.* Subdidit rationem, quod à Deo conferretur: *Dabit illi Dominus Deus sedem.* Si igitur regnum Divina manu impensum duratione æmulatur æternitatem, cur ad paucos durationis annos regnum Israelis

Israelis restrictum est? Eodem sacro Textu nostra eluitur dabitio. *Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi, (dixit Jeroboamo Deus regnum tradens) & ambulaveris in vijs meis, & feceris quod rectū est, custodiens mandata mea, & præcepta mea, sicut fecit David servus meus, ero tecum, & edificabo tibi domum fidelem.* Contulit Jeroboamo regnum, ut illud in ejus posteritate conservaret, si foret Rex iustus, & pius instar Davidis; & non ut conservaret cū impietate, & injustitia, aliter iniqua evaderet distributio: siquidem auferebat regnum à domo Salomonis ob impietatem, & servabat in domo Jeroboami magis impia: at in distributionem Divinam injustitia cadere nequit: non alius Deus erga Salomonem, & erga Jeroboamum: *Statera dolosa abominatio est apud Dominum: pondus æquum voluntas ejus, Christi Servatoris regnum duratione æquabit æternitatem, quia Christus in æternum Rex iustus, & pius erit: Misericors, & miserator, & iustus Dominus.* Israelis regnum tempore brevi evanuit

Æqualitatis  
divina  
justitia.

Prov. 11.

Psal. 85.

propter suorum Regum impietatem, & injustitiam: *Principes tui infideles (dixit Deus per suum Prophetam) socij furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; papillo non judicant, & causa vidua non ingreditur ad illos.* Cum impio actyranico regimine duratio stare nequit: pietas, & justitia servant regnum: illud fraudes, & injustitiæ labefactant, sceptrumque mutant: *Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.*

Ecl. 18.

Quodcumque ex dictis sceleribus satis est, ut Deus sceptrum transferat: non tamen satis est ut Reges justitiam colant, veritatem hujusmodi Divinam esse: quia non se reputant supremos, nisi sint injusti. Hebræum sceptrum perijt, & perijt ex ingratitude ac infidelitate: quia cū maiores à Deo acceperit favores, maiori correspondit ingratitude, & nullam magis genuinum ingratæ coronæ supplicium est, quàm æterna vastitas: *Desolata in terra sedebit.*

